



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Q. SEPTIMII|| FLORENTIS|| TERTVLLIANI||
CARTHAGINIENSIS|| PRESBYTERI, OPERA|| QVÆ
HACTENVS REPERIRI|| POTVERVNT OMNIA:||**

Tertullianus, Quintus Septimius Florens

Antverpiae, 1584

De Exhortatione Castitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73633)



Q. SEPTIMI FLOREN

TIS TERTULLIANI CARTHAGINIENSIS

PRESBYTERI DE EXHORTATIONE

Castitatis Liber.

Non dubito, Frater, te post uxorem in pace præmissam ad compositionem animi conuersum, de exitu singularitatis cogitare, & utique consilium dirigere. Quamquam & huiusmodi cum fide sua conloqui debeat vnusquisque, eiusque vires consulere: tamen quoniam in ista specie, carnis necessitas cogitatum mouet querere apud eandem conscientiam quæ fidei resistit, opus est fidei extrinsecus consilium, tanquam aduocatum aduersus carnis necessitatē. Quæ quidem necessitas circumscripti potest, si voluntas potius Dei, quam indulgentia consideretur. Nemo indulgentiā audendo promeretur, sed voluntati obsequendo. ¹ Voluntas Dei est sanctificatio nostra. Vult enim imaginē suam nos etiam similitudinē fieri, vt simus sancti, sicut & ipse sanctus est, inquit. Id bonum, Sanctificationem dico, in species distribuit complures, vt in aliqua earum deprehendamus. ² Prima species est, ³ Virginitas à natiuitate. ⁴ Secunda, Virginitas à lauacro aquæ, ⁵ aut in matrimonio purificat ex compacto, ⁶ aut in viduitate perseuerat ex arbitrio. ⁷ Tertius gradus superest Monogamiæ, quom post matrimonium vnū interceptum exinde sexui renunciatur. Prima felicitas prima virginitas est, non nosse à quo postea optabis liberari, in totum. Secunda virginitatis est, contemnere vim quā optime horis. Reliqua species ⁸ habētus nubendi post matrimonium morte diffūctum, præter virtutes etiam modestiæ laus est. Modestiæ enim laus est, ablatū non desiderare, & ablatum à Deo Domino, sine cuius voluntate nec folium de arbore labitur, nec passer assis vnus ad terram cadit. ⁹ Quam denique modesta illa vox est, Dominus dedit, Dominus abstulit: vt Domino visum est, ita factū est: Ideo si nuptias ablatas restauremus, sine dubio contra voluntatem Dei nitimur, volentes habere rursus quod habere nos noluit. Si enim voluisset, nō abstulisset. Nisi & in hoc voluntatem Dei interpretamur, quasi rursus vellet in nos, quod iam noluit Deus. ¹⁰ Nō est bonæ & solidæ fidei, sic omnia ad voluntatem Dei referre, & ita adulari ad vnum quenque, dicēdo nihil fieri sine iussione eius: vt non intelligamus aliquid esse in nobis ipsis. Ceterum excusabitur omne delictum, ¹¹ si cōtinuerimus, nihil fieri à nobis sine Dei voluntate. Et ibi definitio, istam destructionem totius disciplinæ etiā ipsius Dei, si & quæ non vult de sua voluntate producit, aut nihil est quod Deus non vult. Sed quomodo verat quædā, quibus etiam supplicium æternum comminatur? Vtique etiam quæ verat non vult, à quibus & offenditur: sicut & quæ vult, præcipit, & accipit, ¹² & æternitatis mercede dispūgit. Itaque quom vtrunque ex præceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit, iam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est, ¹³ Ecce posui ante te bonum & malum: gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideò non debemus quod nostri expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse & velle, qui malum non vult. Ita nostra est voluntas, cum malum volumus aduersus Dei voluntatem, qui bonum vult. Porrò si quæris, vnde veniat ista voluntas qua quid volumus aduersus Dei voluntatem: Vt dicam, Ex nobis ipsis. Nec temerè, semini tuo respondeas necesse est. si quidem ille princeps generis & delicti Adam voluit, quod deliquit. Neque enim diabolus voluntatem ei imposuit delinquenti, sed materiā voluntatis subministravit. Ceterū voluntas Dei in obaudientiam venerat. ¹⁴

BBB iij

Proinde & tu si non quæbaudicris Deo, qui te proposito præcepto liberæ potestatis instituit, D per voluntatis libertatem volens deurgis in id quod Deus noluit. Ita te putas à diabolo subuersum, qui etiam vult te velle quod Deus non vult, non tamen facit vt & velis: quia nec tunc inuitos Protoplastos ad voluntatem delicti subegit, immò neque inuitos, neque ignorantés quid Deus nollet. Vtique enim nolebat fieri, cui admissio mortem destinabat. Ita diaboli opus vnũ est, tentare quod in te est, at velis. At vbi voluisti, sequitur vt te sibi subigat, non operatus in te voluntatem, sed nactus possessionem voluntatis. Igitur quum solum erit in nobis velle, in hoc probatur nostra in Deum mens, an ea velimus quæ cū voluntate eius sapiant.

CAP. III. [15] Alitè, impressè recogitandam esse dico Dei voluntatem, quid etiam in occulto velit. Quæ enim manifestò, scimus omnes, eaque ipsa qualiter in manifesto sint, perspicendum est. Nam si quædam videntur voluntatem Dei sapere, dum à Deo permittuntur, nõ est omne quod permittitur, ex mera & tota voluntate procedit eius qui permittit. [16] Ex indulgentia est, quodcunque permittitur. Quæ etsi sine voluntate non est, quia tamen aliquam habet causam in loco cui indulgetur, quasi de inuita venit voluntate passa causam sui, quæ cogit voluntatem. Vide qualis sit voluntas eius, cuius altera sit causa. Secunda iterum species consideranda est puræ voluntatis. Vult nos Deus sibi placita, in quibus non indulgentia operatori patrocinator, sed disciplina dominatur. Si tamen alia, ista præponit vti quæ magis vult, dubium est ea nobis taxanda esse, quæ mauult, quàm ea, quæ minus vult. Qui alia magis vult, proinde habenda sunt. Nam ostendendo quæ magis velit, minorem voluntatè maiore deleuit. Quantòque notitiæ tuæ vtriusque proposuit, tanto definiuit id te sectari debere, quod paruit eum magis velle. Ergo si idèò declarauit vti secteris quod magis vult, sine dubio nisi ita facis, contra voluntatè eius sapis, sapiendo contra potiore eius voluntatem, magisque offendis quàm promereris, quod vult quidem faciendo, quod mauult respuendo. Ex parte delinquis, non tamen promereris. Porrò & promereri nolle, delinquere est. Secundum itaque matrimonium, si ex illa Dei voluntate quæ indulgentia cogitur, negabimus meram cui indulgentia est causa: si ea cui potior alia præponitur, continentia magis appetendæ, didicerimus non potiore à potiore scindi. Hæc præstruxerim, vt iam Apostoli voce decurram. In primis autem non videbor irreligiosus, si quid ipse profiteretur continentia magis appetendæ didicerim. Iam animaduertam omnem illam indulgentiam nuptiarũ de suo, id est, de humano sensu, non de diuino præscriptu induxisse. Nam & quum de viduis & innuptis definiuit vti nubant, si continere non possunt, [17] quia melius est nubere quàm vri, conuersus ad aliam speciem, Nuptis autem denuntio, inquit, non ego, sed Dominus. Ita ostendit, extra rationem personæ suæ Dominum: & quod supra dixerat, id non ex persona Domini, sed ex sua pronuntiasse, Melius est nubere quàm vri. Quæ vox licet ad eos pertineat, [18] qui sunt innupti, vel vidui, qui tamen nubendi licentiam amplectuntur, velim retractare, [19] quale bonum ostendat quod melius est pœna; quod non potest videri bonum, nisi pessimo comparatum; vt idèò bonum sit nubere, quia deterius est ardere: Bonum ita est, si per se nomen hoc obtinet, sine comparatione non dico mali, sed etiam boni alterius; vt & si bono alij comparatur, & ab alio adumbratur, nihilominus remaneat in boni nomine. Ceterum si per mali collationem cogitur dici, non tam bonum est quàm genus mali inferioris, quod à superiore malo obscuratum ad nomen boni impellitur. Aufer denique dictionem comparationis, vt non dicas, Melius est nubere quàm vri; & quæro, an dicere audeas, Melius est nubere, non adiciens quid sit id quo melius est. Ergo quod non melius, vti quæ nec bonum; quia abstulisti & remouisti dictionem comparationis, quæ dum melius illud facit alio, ita bonum haberi cogit. Melius esse nubere quàm vri, sic accipiendum est, ac si melius vno oculo quàm duobus carere. Si tamen à comparatione discedas, non erit melius vnum oculum non habere, quàm & bonum. Nemo igitur capter ex hoc capitulo defensionem, quod propriè ad innuptos & viduos spectat, quibus nulla adhuc coniunctio numeratur. Quamquam ostenderim etiam illis numerandam esse permissi conditionem. [20] Ceterum de secundo matrimonio scimus tamen Apostolum pronuntiasse: Solutus es ab vxore, ne quæseris vxorem. Sed & si duxeris, non delinques. Proinde tamen & huius sermonis ordinem, consilio suo, non de diuino præcepto introducit. Multum autem interest inter Dei præceptum & consilium hominis. Præceptum Dei, inquit, non habeo, sed consilium do, quasi misericordiam consecutus fidelis esse. [21] Quoniam neque in Euangelio, neque ipsius Pauli Epistolis ex præcepto Dei inuenias permissam.

TERTULLIAN
Con. Annotatiõibus
PAMELI
A. V.
36.

A permissam matrimonij separationem. Vnde vnum habendum confirmatur, quia quod à Domino permissum non inuenitur, id agnoscitur interdictum. Adde quod & hæc ipsa huius consilij interiectio ²² quasi inrecogitationem excessus sui passa, statim se refrenat & reuocat, quum subiungit: Veruntamen huiusmodi, pressuram carnis habebunt, quum parere se eis dicit: Quum tempus in collecto esse adiicit, quo oporteat etiam habentes matrimonia pro non habentibus agere: ²³ quum sollicitudinem nuptorum committit. Per hæc enim docens cur non expediat nubere, dissuadet ab eo quod supra indulerat. Et hoc ne primo matrimonio, quanto magis secundo. ²⁴ Quum nos verò ad exemplum suum hortatur, vti que ostendens quid nos velit esse, id est continentem, pariter declarat quid nos esse nolit. Id quod non vult, nec sponte nec veritate permittit. Si enim vellet, non permisisset, immò imperasset. ²⁵ Sed ecce rursus, Mulierem defuncto marito dicit nubere posse, si cui velit, tantum in Domino. At enim felicius erit, inquit, si sic perseverauerit secundum meum consilium. Puto autem, & ego spiritum Dei habeo. Videmus duo consilia, quo supra nubendi veniam facit, & quo postmodum continentiam nubendi indicit. Cui ergo, inquit, consilio adtentabimur? Inspice & lege. Quum ²⁶ viam facti, hominis prudentis consilium allegat. Quum continentiam indicit, Spiritus sancti consilium adfirmat. Sequere admonitionem cui diuinitas patrocinatur. Spiritum quidem Dei etiam fideles habent, sed non omnes fideles Apostoli. Cur ergo quum fidelem dixerit, adiicit postea, spiritum se Dei habere, quod nemo dubitat etiam de fidelibus idcirco hoc dixit, vt sibi Apostoli fastigium redderet. Proprie enim Apostoli spiritum sanctum habent, qui plene habent in operibus prophetiæ efficaciam virtutum atque documentorum linguam, non quasi ex parte, quod ceteri. Ita spiritum sanctum auctoritate ad eandem speciem adire fecit, cui nos magis obsequi voluit: & factum est iam non consilium diuini spiritus, sed pro eius maiestate præceptum. [²⁶ Ad legem semel nubendi dirigam. Ipsa origo humani generis patrocinatur, contestans quid Deus ab initio constituerit, in formam posteritatis recensendum. Nam quum hominem figurasset, eique parem necessariam prospexisset, vnam de costis eius mutuatus, vnam illi foemina[m] finxit, quum vti que nec artifex, nec materia defecisset: plures costæ in Adam, & infatigabiles manus in Deo, sed non plures vxores apud Deum. & ideo homo Dei Adam, & mulier Dei Eua ²⁷ vnus inter se nuptiis defuncti sunt. Formam hominis Dei, de originis auctoritate, & primam Dei voluntatem sanxerunt. ²⁸ Erunt duo, inquit, in vnam carnem: non tres, neque quatuor. Alioquin iam non vna caro, nec duo in vnam carnem. Tunc erunt si coniunctio & concretio dum in vnitatem semel fiat. Si verò rursus, aut spiritus, iam vna esse desit: & erunt iam non duo in vnam carnem, sed vna plane caro in plures. ²⁹ At quum Apostolus in Ecclesiam & Christum interpretatur, erant duo in vnam carnem, secundum spirituales nuptias Ecclesiæ & Christi, vnus Christus, & vna eius Ecclesia, agnoscere debemus duplicatam & exaggeratam esse nobis vnus matrimonij tam secundum generis fundamentum, quam secundum Christi firmamentum. Vno matrimonio consensum vtroque, & carnaliter in Adam, & spiritualiter in Christo: Duarum natiuitatum vnum est monogamiæ præscriptum. Vtraque degenerat, qui de monogamia exorbitat. Numerus matrimonij à maledicto viro coepit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit. [³⁰ Sed & benedicti, inquit, Patriarchæ non modò pluribus vxoribus, verum etiam concubinis coniugia miscuerunt. ³¹ Ergo propterea nobis quoque licebit in numerum nubere? Sanè licebit si qui adhuc typi alicuius futuri sacramenti supersunt, quos nuptiæ tuæ figurent; ³² aut si etiam nunc locus est vocis illius, Crescite & multiplicamini, id est, si nondum alia vox superuenit, Tempus iam in collecto esse, restare vt & qui vxores habent, tanquam non habentes agant. Vti que enim continentiam indicens, & compefcens concubitus seminarij generis, ³³ abolefcit Crescite illud & multiplicamini. Vt opinor autem vnus & eiusdem Dei vtraque pronuntiatio & dispositio est, qui tunc quidem in primordio sementem generis emisit indultis coniugiorum habentibus, donec mundus repleretur, donec nouæ disciplinæ materia proficeret: nunc verò cum extremitatibus temporum compressit quod emiserat, & reuocauit quod indulerat, non sine ratione propagationis in primordio, ³⁴ & repastinationis in vltimo. Semper initia laxantur, fines contrahuntur. Propterea sylvam quis instituit, & crescere sinit, vt tempore suo cadat sylvam. Erat vetus dispositio, quæ in Euangelio nouo deputatur; in qua securis ad radicem arboris posita est. Sic & Oculum pro oculo, & dentem pro dente, iam

Exod. 21. senuit; ³⁵ ex quo iuuenit, Malum pro malo nemo reddat. Puto autem etiam humanam D
 Rom. 12. constitutionem atque decretum postea pristinis praevalere. [³⁶ Cur autem de pristinis
 CAP. VII. exemplis non ea potius agnoscamus, quae cum posteris communicant disciplinae, for-
 mam vetustatis ad nouitatem transmittunt? Ecce enim in veteri lege animaduerto ca-
 Leuit. 2. stratam licentiam sepius nubendi. ³⁷ Cautum est in Leuitico: Sacerdotes mei non plus
 nubent. Possum dicere, etiam illud plus esse quod semel non est. Quod non vnum est,
 numerus est. Denique post vnum incipit numerus. Vnum autem omne quod semel est.
 Sed vni Christo seruabatur, sicut in ceteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Inde igi-
 tur apud nos plenius atque strictius praescribitur; ³⁸ vnus matrimonij esse oportere, quos
 1. Tim. 3. & ad legi liceat in ordinem Sacerdotalem. Vsqe adeo quosdam memini digamos loco de-
 Tit. . iectos. Sed dices: Ergo ceteris licet, quum, quibus non liceat excipit. Vani erimus, si puta-
 uerimus quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. ³⁹ Nonne & laici sacerdotes sumus?
 Apoc. 1. Scriptum est, Regnum quoque nos & sacerdotes, Deo & patri suo fecit. Differentiam inter
 Ordinem & Plebem constituit Ecclesiae auctoritas, & honor per Ordinis confessum fan-
 tificatus a Deo. Vbi Ecclesiastici ordinis est confessus, & offert & tingit sacerdos qui
 est ibi solus. ⁴⁰ Sed & vbi tres, Ecclesia est; licet laici. Vnusquisque enim de sua fide viu-
 Matth. 18. Nec est personarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores legis iustificabuntur
 Rom. 2. a Deo, sed factores, secundum quod & Apostolus dicit. Igitur si habes ius sacerdotis in
 temetipso, vbi necessitas est habeas, oportet etiam disciplinam sacerdotis necesse sit ha-
 bere ius sacerdotis. Digamus tinguis, digamus offers: quanto magis laico dicat, quod
 ad salutem erit agere pro sacerdote. Quam ipsi sacerdoti dicitur, qui eo facto commu-
 nicatur actione sacerdotis. Sed necessitati, inquis, indulserit. Nulla necessitas excusa-
 tur, quae potest non esse necessitas. Denique digamos reprehendi & necessitate admini-
 strantes quod non licet. Dicam, omnes nos Deus ita voluit dispositos esse, vt vbi que
 functiones eius obeundi sit disciplina. Vsqe adeo nisi laici ea obseruent, per quae presby-
 teri adlegantur, quomodo erunt presbyteri qui de laicis adleguntur? Ergo praeferre de-
 bemus ante laicum iussum a secundo matrimonio retinere, dum presbyter esse non alius
 potest quam laicus qui semel fuerit maritatus. [⁴¹ Liceat nunc denuo nubere, si & om-
 ne quod licet, bonum est. Idem Apostolus exclamabat, Omnia licent, sed non omnia
 CAP. VIII. pro salute. Quod non prodest, oro te, potest bonum dici? Silicita sunt & quae non pro
 salute, ergo & quae non bona sunt, licita sunt. Quid autem magis velle debebis, quod
 1. Cor. 6. ergo bonum est, quia licet, an quod ergo quia prodest? Multum existimo esse inter li-
 centiam & salutem. De bono non vincis, scilicet quia bonum permitti non oportet.
 Sed adsumi permittitur, vt quod an bonum sit, in dubio est, quod potest etiam non per-
 1. Cor. 7. mitteri, si non habeat aliquam sui causam primam. Quia propter incontinentiae periculum
 permittitur nubere secundum: quia nisi licentiae alicuius non bonae rei subiaceret, non
 esset in quo probaretur, qui diuinae voluntati, & qui suae potestati obsequatur: quis no-
 strum utilitatis praesentiam sectetur, & quis occasionem licentiae amplexetur: quis diui-
 nae voluntati, & quis suae voluptati obsequatur. Licentia plerumque tentatio est discipli-
 nae, quoniam disciplina per tentationem probatur, tentatio per licentiam operatur. Ita
 fit vt omnia liceant, sed non omnia expediant: dum tentatur cui permittitur, & vincat-
 1. Cor. 9. tur dum in permissione tentatur. ⁴² Licebat & Apostolis nubere, & uxores circounduce-
 re. Licebat & de Euangeliis viuere. ⁴³ Sed qui his usus non est in occasionem, ad exem-
 plum nostrum prouocat, docens in eo esse probationem, in quo licentiae experimen-
 CAP. IX. tum. [⁴⁴ Abstinentiae praestruerit superiorem, ne sensus eius interpretetur. Non illud
 dicendum erit, ⁴⁵ secundum matrimonium quasi speciem stupri: Quum enim dicat: Ma-
 1. Cor. 7. ritos hoc in sollicitudinem habere quonam modo sibi placeant: non utique de moribus
 (⁴⁶ nam vt bonam sollicitudinem non subleuaret) sed de cultu, & ornatu, & omni stu-
 dio formae, ad illecebras mouendas sollicitos iungi: velut de forma & cultu placere car-
 nalis concupiscentiae ingenium sit, quae etiam stupri causa est. Ecquid videret tibi stupri
 ad fine esse matrimonium, quoniam ea in illo deprehendo quae stupro competunt. Inte-
 rim Dominus ipse dicit, ⁴⁷ Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam,
 Matth. 5. etiam stuprauit eam in corde suo. Qui autem ad ducendum viderit, minus perfecit: quid si
 etiam duxerit? quod non faceret, nisi ad ducendum concupisset. Nisi potest duci vxor,
 quam & si non videris, at concupseris saltem, quum ipsam ducere coeperis. Multum sa-
 ne abest maritus ab zelo, non concupiscens. Omnis mulier zeliuira est, quandiu aliena
 nec

TERTULLIAN
 Con. Amationibus
 PAMELI
 A. V.
 16.

A nec per alium fit marita, nisi per quem & adultera. Legi videtur matrimonij & stupri differentia. Alioquin res & viris & feminis eadem imponit; est enim & matrimonium & stuprum commixtio carnis. Scilicet certandum cuius concupiscentia nos stupro adæquavit. Ergo, inquis, iam & primas, id est, vnas nuptias destruis. Nec immerito: quoniam & ipsa ex eo constant quod est stuprum. Et ideo optimum est homini mulierem non tangere, quia cara est stupri adfinitate. Sed cum hæc etiam de primis & vnis nuptiis pretendi ad causam continentie possint, quanto magis secundo matrimonio recusando præuidebunt? Gratus esto, si semel tibi Deus indulset nubere, gratus enim eris, si & iterum indulset tibi nescias. ⁴⁸ Ceterum vteris indulgentiam, cum nec modestiam vteris. Modestia à modo dicitur. Non tibi sufficit ⁴⁹ de summo illo in uxora etiam virginitatis gradu in secundum deliquisse nubendo, sed in tertium adhuc de uolueris, & futuris impelli potes, qui in secunda statione continens non fuisti, quia nec prohibere plures nuptias voluit, qui de secundis prouocandis retractauit. Nubamus igitur quotidie; ⁵⁰ & *Matth. 24. Gen. 19. Matth. 24. CAP. X.* nubentes ab vltimo die deprehendamur; tanquam Sodoma & Gomorra: quo die adimplerit Væ illud super pregnantas & lactantes, id est maritos incontinentia. Hæc nuptiis enim vteri & vbera infantis. Et quando finis nubendi? Credo post singm subandi. ⁵¹ Renuntiant tandem carnalibus fructibus, vt aliquando spiritalia retractemus. Rape occasionem etsi non exoptatissimam, at tamen desisti habere cui debitum solueres. O te felicem, amisisti debitorem, simile damnnum, quid diximus damnnum? lucrum sentientem.

B Per continentiam enim negotiaberis, magnam substantiam necessitatis parsimonie carnis feruentis adquirens. Recogitemus enim ipsam conscientiam nostram, quam alius alium se homo sentiat, cum sua femina cessat. Si orationem facit ad Dominum, improprie est celo. Si scripturae incumbit, totus illic est. ⁵² Si psalmum canit, placet sibi. Ideo Apostolus purificationi orationem commendauit, causatus id quod ad tempus permiserat: semper nobis exercendum esse, quod semper proficit. Si quotidie omni momento oratio hominibus necessaria, vtique & continentia, quæ orationi necessaria sit. Oratio de conscientia procedit. Si conscientia erubescit, erubescat oratio. Spiritus ducit orationem ad Deum. Si spiritus reus apud se sit, conscientia erubescit, quomodo audebit orationem ducere ad altare? Sic etenim est prophetica vox veteris Testamenti: Sancti erimus, quia & Deus sanctus. & rursus: ⁵³ Cum sancto sanctificaberis, & eum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris. Debemus enim ingredi in disciplina Domini, vt Deo dignum fructum non secundum carnis æqualentia concupiscentiam. Ita enim & Apostolus dicit, quod ⁵⁴ sapere secundum carnem, mors est: secundum spiritum verò sapere, vita æterna sit in Christo Iesu Domino nostro. Si hæc obruffo, etiam quum in vnis nuptiis in nos caro exercetur, spiritum sanctum auertit, quanto magis quum in secundo matrimonio agitur? ⁵⁵ Duplex enim iste rubor est; quia in secundo matrimonio duæ vxores eundem circumstant maritum, vna spiritu, alia carne. Nec enim *Lenit. 16. Psal. 7. Rem. 8. CAP. XI.* pristinam poteris odisse, cui etiam clariorem referuas affectionem. Et iam repete apud Deum ⁵⁶ pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot vxoribus, quot illas oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per sacerdotem de monogamia ob pristinum de virginitate sancitum, circumdatum virginibus ac vniuiris: & ascendet sacrificium tuum libera fronte: & inter ceteras voluntates bonæ mentis postulabis tibi & vxori castitatem. ⁵⁷ Scio quibus excusationibus coloremus insatiabilem carnis cupiditatem; ex quibus necessitates adminiculorum descendunt; administrandam familiam, regendos loculos, ⁵⁸ clauas custodiendas, lanificium dispensandum, victum procurandum, curas domesticas. Scilicet solis maritorum domibus bene est. Perierunt cœlibum familiarum, spadonum, militum, aut peregrinantium sine vxoribus. Non enim & nos milites sumus, eo quidem maioris disciplinæ quo & tanti Imperatoris? Non & nos peregrinantes in isto seculo sumus: cur autem ita dispositus est Christianus, vt sine vxore non possit? Nunc & consortium onerum domesticorum necessarium est. Habe aliquam vxorem spiritalem. Adsume de viduis, fide pulchram, paupertate dotatam, ætate signatam. Bonas nuptias fecerit huiusmodi vxor; Has te plures habere Deo gratum est. Sed de posteriori tempore cogitant Christiani, quibus crastinum non est. Hæredes Dei seruus desiderabit, qui semetipsum de seculo ex hæredauit? Vt ergo quis repetit matrimonium, quum de pristino non habeat liberos? Itaque hoc primum diutius vti volunt, ipso Apostolo festinante ad Do-

minum in persecutionibus, constantissimum in martyriis, promptissimum in communi-
 cationibus rerum, temperatissimum in acquisitionibus, postremo vsuris, morte relin-
 quendis, filiis. Forfan Reipublicæ prospectu aguntur, ne diuites deficiant, si soboles non
 habent: ne leges, ne iura, ne commercia delabantur, ne templa derelinquantur, ne modo
 non sint qui exclament: Christiani ad bestias. Hæc enim audire desiderant, qui filios
 querunt. Sufficiat ad consilium viduitatis vel ista præcipua causa, importunitas libero-
 rum.⁶⁰ Ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines; quia sapiens quique
 nunquam libens filios desiderasset. Quid ergo facies, si nolis, si vxorem de tua conscien-
 tia impleueris, dissoluturus es medicamine conceptum?⁶² Puto nobis non licere nascen-
 tem necare, quam & natum. Sed fortè illo tempore prægnantis vxoris remedium à Deo
 petes. Tanta sollicitudine à Deo petere audebis, quod in te positum recusasti? Opinor
 aliqua sterilis prospicietur, vel etiam anus sapiens enixa. Quod à Domino magis euenire
 potest, si quis præsumptionem eius pro Dei æmulatione prouocaret. Scimus denique
 quendam ex Patribus quum propter familiam suam, secundo matrimonio sterilem ca-
 pta⁶³ vxorem, tam iterum patrem factum, quam & iterum maritum. [Ad hanc
 meam contentionem, frater dilectissime, videmus etiam seculi exempla, quæ sæpè no-
 bis etiam in testimonio posita sunt, quum quod bonum, & Deo placitum videtur, testi-
 monio oneratur. Monogamia apud ethnicos in summo honore est, vt & virginibus legiti-
 me nubentibus⁶⁴ vniuiram pronuba adhibeatur, & si auspiciis istum est. Item in quibus-
 dam Solennibus & Auspiciis, vt prior sit vniuiræ locus.⁶⁵ Certè Flaminica non nisi vni-
 uira est, quæ & Flaminis lex est. Nam duo ipsi Pontifici Maximo iterare matrimonia non
 licet, quod Monogamiæ gloria est. Quum autem Deus summus tantum, Satanas ad per-
 ficiendum prouocatio est nostra, immò subfusio pigriusimorum ad continentiam Deo ex-
 hibendam,⁶⁶ qua diabolo qui antistat, nunc vniuiram, nunc viduitate euirant.
⁶⁸ Noueram virgines Vestæ⁶⁹ & Iunonis apud Achaiaæ ganem,⁷⁰ & atrocis apud Del-
 phos, & Mineræ, & Dianæ, quibus locis. Noueram continentem viros, & quidem Tau-
 riillius Ægyptij antistites;⁷¹ Fœminas verò Cereris Africana, cui etiam sponte abdi-
 cato matrimonio adfenescent, exinde adempto contactu masculorum, vsque ad oscula
 filiorum. Inuenit diabolus, post luxuriam castitatis perditricem, quomodo reus sit
 Christianus, qui castitatem recusauerit conseruatricem. Erunt nobis in testimonium &
 fœminæ quædam seculares, ob vniuiratus obstinationem famam consequutæ; vt Dido,
 quæ prostra, in alieno solo, vbi nuptias regis vltro optasse debuerat, ne tamen secun-
 das experiretur, maluit è contrario vri quam nubere; Vel illa Lucretia, quæ vt semel per-
 vim & inuita alium virum passa est, sanguine suo maculatam carnem abluuit, ne viueret
 iam non sibi vniuiram. Plura exempla certa de nostris inueniam, & quidem tanto potiora,
 quanto maius est viuere in castitate, quam pro ea mori: hoc est animæ id bonum misce-
 ri, quam viuendo separari animam.⁷² Quantæ igitur & quæ in Ecclesiis, ordinari in Ec-
 clesia solet,⁷³ quæ Deo nubere maluerunt, quæ carnis suæ honorem instituerunt, que-
 que se iam illius pudoris filias dicauerunt, occidentes in se concupiscentiam libidinis, &
 totum illud quod intra Paradisum non potuit admitti. Vnde præsumendum est hos, qui
 intra Paradisum recipi volunt, tandem debere cessare ab eare, à qua Paradisus obstru-
 ctus est. Gratia ergo cum intelligenti hæc. Memento in orationibus tuis⁷⁴ TERTUL-
 LIANI ad hæc exhortantis.

ADNOTATIONES IACOBI PAMELII
 IN LIBRVM DE EXHORTATIONE
 castitatis.

I. DE EXHORTATIONE CASTITATIS.]
 Hunc titulum huius libri maluimus, quam quem ele-
 gantia gratia mutauerat Rhenanus, EXHORTATIO
 AD CASTITATEM, tum quod magis accedat ad
 præsentem Tertullianicam, tum quod illum legant MS. 3.
 Vatican. codices, & etiam codex ille MS. quem vidit

Politianus.

CAP. I.

2. Non dubito frater, te post vxorem, &c.] Ce-
 pit hoc inscripsimus: De triplici sanctificatione. Ac-
 cipitur autem hic singularitas, sicut in titulo libri De
 singularitate clericorum Origenis Tom. 3. Oper. B. Or-
 genis.

priani, pro vita singulari seu solitaria, sine femine aut uxoris confortio. Placet verò castigatio Rhenani ex cod. Gorl.ensi: & utique consilium dirigeret, pro eo quod etiam MS. 3. legunt: digere; quia illud magis est Tertullianicum. Qui etiam rectè aduocatum adiectiue explicat, tamquam accersitum simpliciter, aut in aduocationem; & circumscripti interpretatur: reprimi, tolli, superari; nam etiam alibi non semel sic usurpatum est ab Auctore.

3. Voluntas Dei est sanctificatio nostra, &c.] Locum hunc Apostoli 1. Thess. 4. latius tractatum habes Tom. 3. lib. 5. aduers. Mar. cap. 15. Vbi Auctor, sicuti alij veteres omnes, sanctificationem, seu sanctimoniam, solummodo interpretatur de duobus virginitatis, id est continentia generibus, non de tertio, quod hic facit Monogamiam; vt supra opponitur cum matrimonio. Hoc est enim quod immediate in eadem periodo subiungit Apostolus: Et abstineatis vos à fornicatione, seu stupro, sicuti vertere solet Auctor.

4. Virginitas à natiuitate.] De hac complures locos inuenire poterit Lector in Indice tum Tertulliani, tum B. Cypriani nostri.

5. Secunda, virginitas à lauacro aquæ, &c.] Ego sic proisus restitui hunc locum, omisis verbis illis hic superfluis (nam mox repetuntur) vt ex arbitrio suo vidua permanceat, id est. maximè quom similitè dixerit supra lib. 1. ad uxorem c. 6. Quom enim sunt qui statim à lauacro carnem suam obfignant? vbi vide Adnotat. nostras num. 37.

6. aut in matrimonio purificat ex pacto, &c.] Similiter ibidem: Quom item sunt qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt: de quo ibidem num. 38. & lib. de Patient. c. 12. num. 78. Illud verò imitatur B. Hieron. dicta Epist. ad Agrippiniam, quom dicit: Castitant se propter regna colorum, vel à secunda natiuitate post lauacrum ex consensu, vel post nuptias ex ardore fidei.

7. aut in viduitate prefeuerat ex arbitrio, &c.] Toties viduitas ab Auctore commendatur, vt superuacuum foret locos hic citare; quærat Lector in Indice tum Tertulliani, tum B. Cypriani nostri; hic dumtaxat adlegamus dict. lib. cap. 8. num. 53. & lib. de Feland. virg. c. 10. num. 75. & 83.

8. Tertius gradus superest Monogamiae, &c.] De hac exstat supra dictus lib. 1. ad uxorem, & is qui hunc sequitur: De Monogamia Liber, quom Lectorem remittimus ob easdem scripturas ab Auctore citatas. Elegans est autem Metaphora Tertullianica, quæ dicit: Sexui renunciatur.

9. Hacenus nubedi, &c.] Hic Hacenus ab Auctore accipitur pro: non ultra, eodem modo quo dicit Suetonius in Nerone, cap. 40. Hacenus excanduit, vt malum in qui desissent, minaretur.

CAP. III.

10. Quam denique modesta, &c.] Capiti huic titulum dedimus: Quod restaurentur nuptiæ potius ex libero hominis arbitrio, quam ex Dei voluntate. Vbi quod dixit nimis erroneè, etiam contra voluntatem Dei fieri, sic corrigat B. Hieron. vbi supra. Cur inquit, vidua quæ iudicio Dei virum habere desit, non illud lætitudina congreginet: Dominus dedit, Dominus abstulit? Neque verò sicuti contendit Auctor, id probatur ex supra scripto Apostoli loco, vel ipso teste, solum stuprum sanctificationi opponitur ab Apostolo.

11. Non est bonæ & solidæ fidei, &c. dicedo nihil fieri sine iussione eius, &c.] Eadem hic etiam locus contra eos, qui Deum auctorem mali & peccati facere non verentur, contra quos latissime supra Auctor Tom. 3. lib. 2. adu. Marc. cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 14. vbi vide & Adnotat. nostras, partim n. 32. & 83. ibidem simul de hominis libero arbitrio pulcrum tractatum videre est.

12. si continuerimus, &c.] Hoc est (inquit Rhenanus) si merdicos tenere voluerimus, nisi quis malis legere ex coniectura Dn. Latini: contenderimus. Illud itè: Et ibi definito, interpretatur tamquam certi quid vn nuntiatio, istam nempe sententiam, destructionem esse, &c.

13. & æternitatis mercedem dispungit, &c.] Vsfatus (inquit idem) Tertulliani serm. quem usurpat treberimè. Sic lib. de Resurr. carnis, c. 6. Aliam substantiam operari, aliam mercede dispungit. Atqui vterque hic locus facit pro æternitate, mercede operum bonorum, sicuti & alij complures supra.

14. Ecce posui ante te bonum & malum, &c.] Ad istud adlusit Auctor supra lib. 2. adu. Marc. cap. 5. Hic præterea addit explanationis causa: gustasti enim de arbore agnitionis, quamquam interim neque illud ad verbum legatur Eccles. 15. vnde citari videtur. Vbi dicitur: Ante hominem &c. bonum & malum. Atqui mox legimus: Neque enim diabolus voluntatem ei imposuit delinquendi, pro eis, tum quod loquatur de solo Adam, tum quod magis accedat lectio MS. cod. eius. Sunt autem Tertullianica: obaudientiam, & si nos obaudieris, sic enim iterum legimus pro eo quod mendo typographico omisa erat negandi particula, quæ alibi habebatur.

CAP. III.

15. Altè, impressè recogitandam esse dico, &c.] Inscriptionem huius capitis fecimus: Quod Monogamia ex Apostolo probetur, qui indulgentiam vocat nuptias, & melius dicit nubere quam vri. Adnotat autem Rhenanus illud: Quæ eam manifesto, accipi pro: quæ in manifesto.

16. Ex indulgentia est quodcumque permittitur, &c.] Adlusit ad illud 1. Cor. 7. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium; nam paulopost: hæc prætruxisse scribit, vt Apostoli voce decurrat. Et verò non ibi modo ita Apostolum ex parte detorquet, sed etiam infra lib. de Monog. cap. 3. penè isdem verbis, nec a similitè B. Hieron. lib. 1. adu. Iovin. Verum quod illi ad matrimonium, rectius refert B. August. Enchirid. cap. 78. ad illud: Nolite fraudare iniucem; & illud: Iterum ad id ipsum reuertimur; vt probet indulgentia seu venia indigere coniunctionem cum coniuge non filiorum procreandorum gratia, ita tamen quod inter leuia peccata privilegij matrimonij recensetur. Atqui Rhenan. ibi: Vult nos Deus sibi placita, subintelligit: velle, Latini: operari. Rhenano verò acceptam debemus castigationem verborum sequentium; qui etiam taxanda rectè explicat: astimanda, & proinde habenda, pro: pluri facienda. Item: negabimus mercedem, nempe voluntatem. Atqui intermedium dicomma sic distinguimus: magisque offendis quam promereris; quod vult quidem faciendo, quod mauult respuendo. Adnotat denique Rhenan. præscriptu, iuxta quartam inflexionem usurpari; est etiam pauloprius vox Tertullianica: paruit, pro: apparuit.

17. quia melius est nubere quam vri, &c.] Sic necessario castigauimus & hic, & mox, pro: nubi, &

similiter sub finem huius capituli, tum quod illud legatur bis in interbedis lineis, & supra lib. 1. ad uxorem cap. 3. & infra quater lib. de Monogamia. cap. 3. in super etiam à B. Hieron. utroque loco tam citato, & Epist. 4. ad Salamnam, ubi ad verbum ferè hunc locum imitatur, tum quod sic transferatur etiam alijs veteres.

18. qui sunt inuupti vel vidui, &c.] Etiam hoc emendandum pro: sicuti sub finem huius capituli: ad inuuptos vel viduos, quod precesserit de viduis & inuuptis, & Græcè legatur τοῖς ἀρῆμοῖς. Est verò Tertullianica: retractare.

19. quale bonum ostendat quod melius est pœna, &c.] Similes prorsus sunt loci Auctoris & B. Hieron. locis maxè citatis, etiam si idem ipsis verbis; verum si non tam bonum est nubere quàm genus mali inferioris, ut loquitur Auctor, non magis bonum poterit dici matrimonium primum atque secundum; cui tamen contrarium dixit lib. 1. ad uxorem, ubi bonas quidem foret nuptias, sed continentiam præferri tamquam bono isto melius bonum; & B. Hieron. lib. 1. aduer. Iovin. post eandem cum Auctore, quam paulo post habet, & lib. sequ. comparationem, ac si dicatur, melius est vno oculo catere quàm duobus; tandem sic concludit: Ego autem non leuius malum, sed simplex per se bonum vel. Quid? quod B. Hieron. Epist. de Monog. ab Apostolo fateatur admitti secunda, & si necesse est, tertia matrimonia, sed incontinentibus. Ad hunc etiam locum videtur respicere B. August. li. 1. de Bono vidui. ubi quia Tertullianus fecisset mentionem, quod secundas nuptias maledico dente concidisset: Ab hac, inquit, sanitate doctrine nullus docti disputatione moueris; nec ita extollas bonum tuum, ut quod malum non est, tanquam malum crimineris. Sixtus Papa lib. de Castit. sua similia verba sic interpretatur, ut malum accipitur, quod multo inforem gradum teneat, malum est enim cupimus id non esse quod melius est. Et verò extortam esse illam interpretationem, patet vel ex ipsa voce ἀρῆμοῖς, quæ rarisimè melius transfertur, sed frequenter accipitur pro potius & magis eligendum, siue fatius, sicuti vertis Interpres Latinus ex Syriaco.

CAP. IIII.

20. Ceterum de secundo matrimonio, &c.] Caput hoc inscriptum: Iterum ab Apostolo probati Monogamiam, quum omnes vult esse continentes ad exemplum suum, & feliciter dicat mulierem defuncto viro, si sic perseverauerit; denique multa adfert, cur non expediat nubere. Atqui & in isto imitatur Auctorem utroque B. Hieron. & similis quaque fuit supra locus lib. 1. ad uxorem, cap. 7.

21. Quomam negue in Euangelio, &c.] Non permittam esse matrimonij separationem, late tractauit Auctor supra lib. 4. adu. Marc. cap. 34. ubi vide & Adnotat. nostra num. 337. & 541. ac 542. & lib. 5. c. 7. ex hoc ipso loco. 1. Cor. 7. Confirmatur verò hinc nostra sententia, quod etiam Auctor diuortium simpliciter à Christo prohibitum senserit.

22. quali inrecogitationem excessus sui passa, &c.] Ex Cor. 7. (inquit Rhenan.) codice scriptum: excessus sui, hoc est nimia indulgentia. Pars autem: inrecogitationem, pro: in cogitantia, siue inconsiderantia; quo posteriori vocabulo Tranquillus etiam vitur in Claudio Casare. Atqui sic sequentia distinguimus, ut sint dicomata, non periodi: quum parcere, &c.

23. quæ solitudinè nuptorum committit, &c.] Hoc est (inquit idem Rhenan.) conseri & comparat inter se. Lucretialis:

Committit vates, & comparat inde Maronem, Diuus Hieronymus aduersus Helvidium in fine: Melissias nuptiarum committit cum libertate virginum, & earum qua matrimonio defuncta sunt. Ibi autem: Et hoc ne primo matrimonio, subintellegitur, expedire nubere docet Apostolus.

24. Quum nos verò ad exemplum suum, &c.] Facit etiam hic locus pro continentia B. Pauli Apostoli à nuptijs, de qua latius lib. sequ. de Monogamia. cap. 8. Sine autem legi cum excusis: continentiam nubendi indicit, siue cum Ms. 3. Ratio, inducit, perinde est.

25. Sed ecce rursus, Mulierem defuncto marito dicit nubere posse, &c.] Hic adhuc satis moderate agit Auctor, non prosum prohibens digamiam, sed feliciter probans Monogamiam: quare & B. Hieron. fateatur his verbis Apostolorum secundas & tertias nuptias concedere in Domino.

CAP. V.

26. Ad legem semel nubendi dirigam, &c.] Titulum huic capiti inscriptum: De vna Adami uxore, in figuram vnus Christi & vnus Ecclesie. Quæ ipsa tractatur latius lib. de Monog. sequ. cap. 4. & ad verbum ex Tertull. desumpta sunt à B. Hieron. tam epist. sepe dicta ad Ageruchiam, tum in fine Epist. ad Salamnam de Viduitate. Lego autem prosum: in formam politentis recensendum, pro: recensenda, quia præcedit: quod Deus ab initio constituerit. Atqui quum ei parem dicit, rectè Rhenanus intelligit: comparem siue sciam, substantiuè.

27. vnus inter se nuptijs defuncti sunt, &c.] Elegantisimè dictum (inquit Rhenan.) Sic Linnæ: Defuncta morbis capra salubriora esse capere. Suetonius in Nerone cap. 40. Britannia Armeniaque amissa, ac rursus utraque recepta, defunctum se statim malum existimabat.

28. Erunt duo, inquit, in vnam carnem, &c.] Sic ter hic castigamus, pro eo quod erat: in carne vna, quod illud Græcè apud Apostolum, atque etiam alibi frequentissimè ab Auctore legatur; maxime quod sequitur mox: & erunt iam non duo in vnam carnem, sed vna planè caro in plures.

29. At quum Apostolus in Ecclesiam, &c.] In Ephes. 5. lib. sequ. etiam tractatur cap. 5. quod verò sequitur de Lamech duabus maritato, ibidem cap. 4. quæ B. Hieron. simul coniungit. Rectè verò adnotauit Rhenan. ibi: agnoscere debemus duplicatam & exaggeratam esse nobis vnus maritonijs, desiderari autem fatium; ut potè felicitatem, aut aliquid simile: quare etiam retinimus crucem adiectam in editione Basilien. ex qua patet locum esse mutilum.

CAP. VI.

30. Sed & benedicti (inquit) Patriarcha, &c.] Inscriptionem dedimus huic capiti: Quod veteris Legis, qua dicebatur: Crescite & multiplicamini, noua lex sit restrictio. Atqui quod hic in plurali numero de Patriarchis dicit, seculariter lib. sequ. de Monogamia cap. 6. de Abraham digami sibi obicit, inter mentionem faciens Davidis & Salomonis; quibus et Ioseph, Moysen & Aarone vniuges opposuit. Neq. aliter B. Hier. Epi. de Monog. ad Ageruchiam. Qui est pro nostro suo spiritaliter istud interpretetur, et Auct. ibi dicit fidem

TERTULLIANI
CON. AMORATIONIBUS
PAMELI
A. V.
36

fidem Abrahæ in Monogamia præcessisse; pulcrè tamēn B. Aug. lib. 2. contra adu. Legu. & Prophetarum: Iste (inquit) Abrahæ etiam vsque ad decrepitam aetatem fornicationis obiicit crimen, profecto et quia post mortem Saræ alteram (nempe Cethurâ) duxit. Vbi etsi nullum intellexerit rei abditæ sacramentum, propter hoc solum facere debuit Abrahæ, ne putarent aduersus Apostolum hæretici (quibus etiam Tertullianus adspicitur) post uxoris mortem crimen esse ducere uxorem. Atqui sic etiam (inquit Rhen.) benedictum vocauit Eleutherium Martyrem Pontificem Romanum, & Martyres benedictos, & mulieres Christianas benedictas.

31. Ergo propterea nobis quoque licebit in numerum nubere; &c.] Ad hanc interrogationem respondens Auctor: Sane licebit, si qui adhuc typi alicuius futuri sacramenti supersunt; non obcurè significat, se sentire, nunquam in veteri Testamento proprie licuisse plures uxores ducere, sed duxerat permissus duas uxores, seu uxorem vnâ & concubinam Abrahæ, Gen. 16. et plures Iacob, Gen. 29. ac 30. in typum futurorum quem typum pulcrè explicat B. Hier. Epist. de Monog. sepe citata; Auctorem imitatus de Abrahæ uxoribus duabus, infra lib. de Monog. ex Apostolo Gal. 4. Eodem pertinet quod dixit e. præced. Auctor: Nô plures uxores apud Deum, & Numerus matrimonij à maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus. Similiter lib. iam citato de Monog. postquam dicta exëpla Abrahæ, Iacob, Dauidis, & Salomonis adduxerit: meliora (inquit) seclari iullis; habes & Ioseph vniugum; & hoc nomine au deo dicere, patre meliore. Item illud cap. seq. Sed dices: Ergo ceteris licet plus nubere; quum quibus non liceat, excipit. Vani erimus, si putauerimus quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Idipsum sentit Innocentius 3. Papa c. Gaudemus, de Diuortio, sique eodem argumēto, quo Auctor vsus est e. præced. quod ex vna costa facta sit femina, nō ex pluribus, et quod dictū sit: & erunt duo in carne vnâ, non in plures. Quæ quibus B. Aug. & B. Hier. alicubi Patriarchas excusent, scribunt nulla lege prohibitum illis plures habere uxores, aut id illis lege concessum esse; videntur potius intelligēdi de permissione (sicuti repudium in lege permissum fuit) quam de veri nominis concessione; maxime quum eodem verbo concessionis vsatur dicto loco Innocentius, vbi tamen tradit iure diuino prohibitam fuisse uxorum pluralitatem. Certè in noua lege minime id licere probat idem ex illo Matth. 19. Qui alteram duxerit, mœchatur.

32. aut si etiam nūc locus est vocis illius: Crescite, &c.] Tractat hoc ipsius isilem penè verbis Auctor lib. de Monog. cap. 7. & post illum B. Hieron. vbi supra.

33. aboleat, &c.] Aboluit (inquit Rhenan.) pro abolefacit, siue abolet.

34. & repastinationis in vltimo, &c.] Repastinationem (inquit idem) opponit propagationi, & accipit eā pro amputatione & euulsione siue resectione; ut in lib. de Cultu seminarum, c. 9. Non repastinantes diuitiarū vestrarum vel elegantiarum vium, quæ ad gloriam faciunt. Quæ verba paulo ante exponens ipse, dixerat: Proinde vobis curanda est amputatio & decussio redundantioris nitoris.

35. ex quo iuuenit, &c.] Aiuuenscendo (inquit idem) qui etiam rectè interpretatur: pristinis præualere, id est, priuibus.

CAP. VII.

36. Cur autem de pristinis exemplis, &c.] Caput hoc inscripsimus: Quod vnus matrimonij oportue-

rit esse sacerdotes, tam in veteri quam noua Legge. Et verò etiam hoc repetit lib. seq. de Monog. cap. 7.

37. Cautum est in Leuitico: Sacerdotes mei non plus nubent, &c.] Similiter infra lib. de Monog. Deniq; prohibet eadem (nempe Lex in Leuitico, ex qua præcedentia sumperat) Sacerdotes denuò nubere. Quod interim peculiare est Auctori; neque enim in Leuitico, immò nec in lege Moysi reperire licuit. Quid? quod B. Hier. Epist. ad Oceanum planè contrarium scribat, nempe etiam sacerdotibus multarum uxorum paruisse arbitrium, si modo castigati sunt codices, ego verò, uti mentum subesse existimō, facit quod de Moysi idipsum demittat; cuius tamen non nisi vnus uxoris sit mentio in Peateucho, quem adeo etiam Auctor infra lib. de Monog. c. 6. inter Monogamos numerat. Dispicat curiosus Lector, an ne post illud Leuitici 21. Mulierem meretricem & prophanam et mulierem repudiatam à viro suo non accipiat, & non additum fuerit: & non plus nubent, seu, quòd non nubent, aut iuxta editionem Symmachi seu Theodorionis illud aliter nempe hoc modo, translatum fuerit. Maxime quum, quod citat de filia sacerdotis, ut denuò nubat, dicto loco infra Auctor, & post eum B. Hieron. li. 1. contra Ioum, multo aliter legatur apud LXX. qui hodie existant.

38. vnus matrimonij esse oportere, quos adlegi liceat in ordinem sacerdotalem, &c.] Rectè adnotauit Dn. Ioannes Harrisus Anglus mutilum fuisse locum, uti subintelligatur. liceat; quod adeo contextus adiecitimus eo quod eadem voce mox Auctor vsatur. Ex eiusdem etiā coniectura castigamus: vsque adeo quosdam memini digamos loco deiectos; & profus iuxta sensum Auctoris, omissa: nō, particula legimus; Sed dices: Ergo ceteris (nempe laicis, vel Rhenano interprete) licet; quum, quibus non liceat excipit. Adiuit autem ad illud Apostoli 1. Tim. 3. & Tit. 1. vnus uxoris virum, tum hic, tum lib. de Monog. c. 11. c. 2. Item supra lib. 1. ad Pxor. c. 7. lib. verbis, quibus etiam Apostolum explēat: Disciplina Ecclesiæ & præscriptio, &c. Apostoli digamos non sinit præsidere. Verum in eo falli scribit Catharos Epiphani. her. 59. quod quæ ad sacerdotium tradita sunt propter eminentiam celebrationis sacrorum, ea ad omnes æqualiter referri putent. Vbi latè etiam tractat de secundis nuptiis laico non prohibitis, sicuti etiam contra Montanum, her. 48.

39. Nōne & laici sacerdotes sumus, &c.] Quum istud probet scriptura. Apoc. 1. Regnum nos & sacerdotes Deo & patri suo fecit; minime istud fauere poterit Lutheri hæresi, qui omnes laicos facit sacerdotes; sed ita intelligi debet, quod Reges et sacerdotes spirituales, fideles omnes censentur, utpote qui sacrificia spiritalia offerunt; alioqui eodem argumento posset quis concludere omnes Reges esse. Quam suam sententiam satis indicat verbis sequentibus Auctor: Differentiam inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis confessum sanctificatus à Deo. Vbi Ecclesiastici ordinis est confessus (sic enim profus castigamus, etiam hic omisa negandi particula non,) & offert & tingit (sic iterum Tertulliano more, pro: tingit, maxime quum paulo post legatur: tinguis) sacerdos qui est ibi solus. Item ex qua persona talo quid dicat, explicat lib. de Monogam. cap. 12. Sed (inquit) quum extollimur & inflamur aduersus Clerum, tunc vnus omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo & patri fecit. Quò ad perauersionem disciplinæ Sacerdotalis prouocamur, deponimus infulas, & pares sumus; satis superq; indicat propterea laicos

facerdotes dici, quòd ad disciplinam sacerdotalem teneantur. Quòd pertinet etiam, quòd (verbis obscurioribus, & quantum apparet corruptis, & bis superfluo repetitis) hic sequitur. Igitur si habes vis sacerdotis, &c. & quòd apertius est: Dicam, omnes nos Deus ita voluit dispositos esse, vt vbique sanctiones eius obediendi sit disciplina. Vsq; eadè nisi laici ea obseruent, per quæ presbyteri adlegantur; quomodo erunt presbyteri qui de laicis adleguntur? Atque hoc est quòd Auctorem interpretatus scribit B. Hieron. ita supra: Quamquam lege sacerdotali teneatur & laicus, qui talem præbere se debet, vt possit eligi in sacerdotium. Non autem eligitur, si dignus fuerit; porro eliguntur ex laicis sacerdotes; ergo & laicus tenetur mandato, per quòd ad sacerdotium peruenitur. Atqui de differentia inter Ordinem & Plebem, atque ad eò de Ordinis sacramentis, & singulis eius gradibus, vide supra To. 3. Adnot. nostras in lib. de Prescript. adu. haret. c. 40. n. 247. & cap. 41. num. 267. 268. 269. 270. & 271. Item de eo quòd sacerdotalis sit officij offerre, Tom. 2. lib. de Orat. num. 1. lib. de Cor. milit. cap. 3. num. 35. (vbi etiam de nomine Præpositorum seu Præfidentium) & lib. de Feland. virgin. cap. 9. nu. 67. & 68. Denique quòd proprium eum sit sacerdotis tingere, ibidem n. 66. & Tom. 3. lib. de Prescript. adu. haret. num. 263. ac lib. de Bap. cap. 17. nu. 115. 116. & 117.

40. Sed & vbi tres, Ecclesia est; licet laici, &c.] Similis locus est supra lib. de Penitent. cap. 10. In vno & altero est Ecclesia. Verum ibi loquitur de sacerdote, apud quem se habet Exomologesis, tamquam Ecclesia præpositum. Hic ad ludere videtur: Vbi enim sunt duo vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Verum ad haresin Montani videtur pertinere, quòd addat: licet laici, vt potè in eorum sectatores potissimum competat illud lib. de Prescript. adu. haret. cap. 1. Hodie presbyter qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia munia iniungunt. Econtrario B. Cypriano teste Epist. 69. ad Florentium Pupianum: Ecclesia plebs est sacerdoti adunata, & pastori suo grex adherens. Neque etiam in paucis est Ecclesia (sicuti hinc colligunt Magdenburgenses) sed iuxta eundem lib. de Unit. Ecclesia: Ecclesia in multitudinem latius incremento secundum gratiam extenditur, & Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit, & ramos suos in uniuersam terram copia ubertatis extendit. Nec verò etiam dissentit ab illo Auctor in libris prioribus, quos ante omnem haresin scripsit, quum Præfidentium meminit Apolog. cap. 39. & lib. de Coron. milit. cap. 3. ac lib. de Bap. Anathitis, denique Episcoporum ac Præpositorum dicto loco lib. de Monog. aliisque locis citatis ad lib. de Prescript. cap. 2. nu. 183. & cap. 41. num. 267. Quid quòd etiam Ecclesiam iam sua ætate apud omnes mundi nationes diffusam fuisse fateatur supra Tom. 2. lib. adu. Ind. cap. 7. & 12. Valeant itaque Magdenburgenses cum ceteris plerisque hareticis, qui quum videant se dissentire ab Ecclesia uniuersali & catholica, sese iactitare solent de paucitate fidelium in Ecclesia; non secus atque olim Donatista, qui in sola Africa Ecclesiam esse contendebant; contra quos multis voluminibus disputauit B. Augustinus, quòd Lectorem remittimus, vt potè qui omnes aduersariorum rationes latissime confutet, vbi que docens catholicam esse & uniuersalem Ecclesiam. Quam etiam agnouit Auctor lib. de Prescript. adu. haret. cap. 20. quum dicit: Statim igitur Apostoli, primò per Iudæam, dehinc & in orbem profecti, Ecclesias apud vnquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei &

semina doctrinæ, ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatae sunt, & quotidie mutantur, vt Ecclesiæ fiant, &c. Econtrario Auctor Ecclesiæ hæreticorum, qui de paucitate fidelium ferè gloriarī solet, comparat, & apponit, vesparum fatis, lib. 4. adu. Marc. c. 5. vbi vide & nostras Adnotat. n. 44. Atqui rursus reposuimus iuxta Romanam castigationem ex codice Gorziensi: communicatur actione sacerdotis, pro eo quòd substitutum erat: excommunicatur, quia illud legitur etiam 3. MS. Vatic. codicis. Est autem illud valde obscurum, & quantum apparet mendosum: Ergo præferre debemus ante, & c. Pro quo Vatic. 3. legitur: perferre, & vnus eorum; aut, pro: ante, sed nec illi satis faciunt. Ibi denique: quàm laicus qui semel fuerit maritatus, accipitur: semel, pro: semel duntaxat, id est non bis.

CAP. VIII.

41. Liceat nunc denuò nubere, &c.] Titulum hinc capiti imposuimus: Liceat denuò nubere, sed non expedire, pro quo Paraphrasticis vertit Auctor, sed non omnia pro salute. Mox autem clarius, omnia bis vixit ergo, legeretur: Quid autem magis velle debetis, quòd bonum est quia licet, an quòd bonum quia prodest? sed nolimus tantæ verborum mutationem facere.

42. Licebat & Apostolis nubere, & vxores circumducere, &c.] Quum aduadat ad illud 1. Cor. 9. Nihil quid non habemus potestatem, mulierè, Græcè γυναικα, circumducere; id est, vsque ad: Sed qui his vltus non est, non ex persona Auctoris dicit, sed eorum qui secundas nuptias inde videbantur comprobare velles, satis manifestum fit ex lib. seq. de Monog. c. 8. vbi verba Apostoli tractant: Nec enim (inquit) si penes Græcos còmuni vocabulo cenentur mulierès & vxores pro consuetudinis facilitate (ceterum est proprium vocabulum vxorum) idèò Paulum sic interpretabimur: quasi demonstraret Apostolos vxores habuisse. Si enim de matrimonii disputaret, &c. rectè videretur dicere: Non enim habemus potestatem vxores circumducendi, sicut ceteri Apostoli & Cephas? At vbi ea subiungit, quæ de victuaria exhibitione abstinentiam eius ostendunt, dicens: Non enim potestatem habemus manducandi & bibendi? nõ vxores demonstrat ab Apostolis circumductas; quas & qui non habent, potestatem tamen manducandi & bibendi habet; sed simpliciter mulieres, quæ illis eodem instituto quo & Dominum comitantes ministrabant. Quæ ipsa verba ad verbum penè descripta B. Hieron. lib. 1. adu. Iovin. in cõfirmationem adducens illud, quòd legitur in emendatioribus exemplaribus: seruum mulierem. Vnde colligit Clemens Alexan. h. 3. Stromat. Apostolos qui vxores habuerunt, eis tamquam seruis vsi. Quare valeant Magdenburgenses, qui ex Tertulliano nituntur probare coniugium sacerdotum, quasi Apostoli, & proinde sacerdotibus liceret nubere, & vxores ducere. Maxime quum ibidem præmittat: Petrum solum inuenio maritum; per socrum, &c. Ceteros, quum maritos non inuenio; aut spadones intelligam necesse est, aut continentis; quòd etiam descriptis B. Hieron. Eadem pertinent quæ habet Auctor infra cap. 10. & B. Hieron. etiam imitatus est: Si quotidie omni momento oratio hominibus necessaria; vtrique & continentia, quæ orationi necessaria sit. Quòd, et si etiam de laici prima facie dixisse videtur, quòtò magis in ministris altaris conuenit, quibus (sicut Auctorem & B. Hieron. imitatus scribit Innocentius Papa 1. Epist. 2. c. 9.) nõ solum orandi, sed & sacrificandi iuge est officium; nec aliter Epiph. haret. 39.

TERTULLIAN
Cim. Annotationibus
PAMELLI
A. V.
36.

59. & B. Ambros. in Comment. Quo magis absurdum credere, Tertullianum sensisse, quod liceret Apostolis, atque adeo sacerdotibus nubere; maxime qui continentiam fuerit addidit, ut illius amore in absurdum Montani heresim lapsus sit. Et certe id sibi licitum non fuisse, ipsi Apostoli plus satis indicaverunt, aliis id interdicens, quum Can. Apost. 26. ex non conjugatis ad Clerum euectis coniuges accipere volentibus, solum id permittunt Lecto-ribus & Cantoribus; super quo Zonaras disertis verbis adfirmat, si post ordinationem Presbyteri, Diaconi & Hypo- diaconi uxores ducant, à ministerio remoueri. Quum cano- nem haud dubie respicit Nicena 1. Synodus verbis paulo- post citatis, & B. Epiphani. adu. Montanum her. 48. in hac verba: Deus honorat imprimis sacerdotij charismata, per eos qui vel post unius nuptias deinceps se à secundis ab- stinent, vel in virginitate erant exierunt, &c. quem ad- modum & Apostoli eius Ecclesiasticum sacerdotij Cano- nem sanctè & recto ordine constituerunt. Citant etiam eundem Patres Syn. 2. & 3. Carthag. can. 2. quum post continentiam indictam in quo diuini ministrant sacra- menti, adiciunt: ut, quod Apostoli tradiderunt, & à priscis temporibus Ecclesia tenuit, & nos seruemus. Ad eundem adludit Syriacus Papa Epist. 4. quum de capitulis agens 80. in Synodo Episcoporum caeteris, quorum unum est de celebratu sacrorum Ordinum, ea dicit Apostolica & pulchra constitutione constituta. Denique & 6. Syno- dus cap. 6. verba ipsa Canonis Apostolici inseruit. Post Apostolos idem interdictum perit ad perdurauit. Idque imprimis in Ecclesia Latina, sicuti ex predictis testimoniis Patrum & Conciliorum patet, & praeerea ex B. Cyr. Epist. 63. ad Pompon. de virginib. num. 16. Concil. Rom. sub Syluestro Papa primo, Concil. Telesin. alibi, B. Hieron. Apolog. ad Pammach. & lib. adu. Vigilant. B. August. locis compluribus, Sixto 3. lib. de castitate, Leone 1. Epist. 62. ad Anastasium, Eratore in Act. Apost. 16. Conc. Tolet. 1. cap. 4. Conc. Agath. cap. 28. Conc. Antisidor. c. 21. Conc. Tolet. 2. cap. 1. & 2. Aurel. 3. cap. 1. Turon. 2. cap. 15. Tolet. 3. cap. 5. Tolet. 4. cap. 26. & Tolet. 5. cap. 4. Pelag. 2. Pap. B. Gregorio teste, & ipso B. Gregor. lib. 1. Epist. 42. ac 60. & lib. 3. Epist. 5. ac 34. Beda in Lucam, Zacharia Pap. Epist. ad S. Bonif. Vibano 2. alibi, Calixto 2. ver- bis à Gratiano citatis dist. 27. cap. Presbyteri, Lucio 2. Epist. ad Epist. Gall. & Germ. ac Concilio Romano 110. Episcoporum sub Gregorio 7. Denique ex Epistolis Petri Damiani ad Cumbertum Taurinensem Episcopum, ac Leonis Papa 9. aduersus Nicetam, & libris Vmberii Ce- nonianensis eiusdem Leonis legati ad Constantinopolita- nos, quos scripsit aduersus eundem Nicetam, & aduersus calumnias Michaelis Patriarche; ubi ex professo hanc ma- teriam tractant. In Ecclesia etiam Graeca siue Orientali, idipsam manifestum sit ex Concil. Ancy. can. 10. Neoca- sar. cap. 1. Actis Niceni 1. & 6. Synodi in Trullo, item B. Cyrill. Hiero. catechesi 7. Gregor. Nazianz. lib. de Virgin. cap. ult. Epiphani. locis citatis, & Orat. de fide cathol. & Apost. Ecclesia, Mart. Bracaren. Syn. Graec. cap. 4. & Ma- ximo lib. ad quest. Thalasii, denique Nomocanone Pho- tij Tit. 9. cap. 29. apud Balsamonem, ubi citat Nouellam Iustiniani De permissis vel prohibitis matrimoniis ex lib. 1. Cod. Tit. 13. Quibus omnibus canonibus, qui post ordina- tionem uxorem duxerit, à Clero eiciunt. Verba reliquorum compendij gratia praetermittimus; hic dumtaxat adicien- tes quod ex Actis Niceni Conc. 1. & 6. Synodi citauimus, eo quod quidam pro se illa citare non vereantur in contra- rium. Acta Synodi Nicene sic habent apud Socratem hi- stor. Eccles. lib. 1. cap. 11. & Zoilom. lib. 1. cap. 23. Quapro-

pter (inquit in Synodo Paph. citatus) pro eo atque anti- quitius (nempè ab Apostolorum aetate) seruari soli- tum est, deinceps quoque obtinere oportet, ut qui sacerdotalem susceperint dignitatem cœlibes, po- stea quoque à coniugio abstineant. sexta Synodi in Trullo Patres haud absimiliter c. 6. Quoniam (inquirunt) in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum qui non ducta vxore in Clerum promouentur, solos Lectores & Cantores vxorem posse ducere, & nos hoc seruantes decernimus, vnde deinceps nulli penitus Hypodiacono vel Diacono vel Presbytero, post sui ordinationem, coniugium contrahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus facere, deponatur. Cete- rum praefatus eodem pertinent testimonia omnia tam Gre- corum quam Latinorum de continentia Clericorum etiam à propriis vxoribus, à nobis supra citata Tom. 2. lib. in Cul- tu famin. cap. 9. num. 51. Si enim etiam à propriis vxori- bus continere oportuerit, multo minus licet novas uxores ducere. Quamquam in Ecclesia Orientali non videtur ea continentia vbiq; seruata, quò pertinet illud Stephani Papa, cap. aliter. Dist. 31. vbi hoc (non verò, ut calum- niantur quidam, in matrimonio ministris altaris concessò) aliam occidit esse Traditionem Ecclesiarum Orientalium quam Occidentalium. Hac paulo latius contra Magden- burgenses. Poterit verò Lector etiam consulere Claudij Espencei lib. 4. de Continentia, & alios nostrae aetatis eius- dem argumenti tractatores quamplurimos. Hoc dumtaxat adiciamus, quod fuit hac olim heresis Nicolaitarum, vi- potè qui nuptias omnibus, atque adeo etiam altaris mini- stris non modo concedebant, sed etiam contendebant non licere illis absque vxore esse. Deinde etiam condemnata in Iouiniano, qui B. Hieron. teste ita nuptias predicabat, ut virginitati detraberet. Denique etiam in Vigilantio, ut- potè de quo in hac verba B. Hieron. Pro nephas, Episcopos sui sceleris dicuntur habere, infortes, si tamen Episcopi no- minandi sunt, qui non ordinat Diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli calibi credentes pudicitiam.

43. Sed qui his vsus non est in occasionem, &c.] Hic adludit ad sequentia verba 1. Cor. 9. Sed non vli sumus hac potestate, ne quod offendiculum de- mus Euangelio Christi. Atque hoc est quod dicit: in occasionem.

CAP. IX.

44. Abstinẽtiæ praestruerit superiorem, &c.] Huc capiti inscriptionem fecimus: Quod optimum sit mulierem non tangere. Subintelligit autem superiorem sensum etiam Rhenano interprete; qui adnotat, Non, in eo quod sequitur, accipi pro Nonne.

45. secundum matrimonium quasi speciem stu- pri, &c.] Nempè: esse, vti idem adnotauit. Eodem sensu mox dixit: stupri adline. Atque ad hoc locum haud- dubie respicit B. August. lib. ad heresibus, quum dicit: Tertullianum nuptias secundas tamquam supra damnasse, ubi quum addit: contra doctrinam Apostoli- cam; videtur id ex professo fecisse, ut intelligat Lector, per- peram hic pro se citari Apostolum ab Auctore. Nam ne- que illud 1. Corinth. 7. maritos hoc in sollicitudinem habere, quomodo sibi (id est vxoribus, nam nouo mo- do, sibi vsurpat) placeant; neque etiam quod paulo post citat: Optimum est homini mulierem non tange- re, facit ad comprobationem eius, quod in Matrimonium sit fornicatio siue stuprum, vti more suo loquitur Auctor.

46. nam vt bonam sollicitudinem non subde- uaret, &c.] Id est (inquit Rhenan.) non prohiberet eam sollicitudinem qua de moribus est, ut potè bonam. Verum

quum ea vocis illius significatio alibi nusquam legatur, puto potius legendam: eleuaret, id est, verbis minueret et deprimeret. Atque quod illud legant etiam MS. Vatic. nihil immutare voluit.

47. Qui viderit (inquit) mulierem ad concupiscendum eam, iam stuprauit eam, &c.] Etiam hoc ad haresin Auctoris pertinet, quod stupri accuset qui viderit mulierem ad ducendum eam, quia si id verum sit, non solummodo secundas, sed & primas nuptias, uti ipse etiam confitetur, & strueret. Verum de hoc latius in Prolegomena. Hic dumtaxat dicendum, quum matrimonium (vel ipso Auctore teste compluribus in locis) sanctum sit, non peccare qui mulierem ad ducendum viderit, cuius enim finis bonus est, etiam concupiscentia illius bona sit necesse est. Vt eadem de re locum similem lib. de Monog. cap. 10. & excusationem, quamquam friuolam, Auctoris ibidem. p. 14.

48. Ceterum vteris indulgentiam, &c.] Vtor (inquit Rhenanus) cum Accusatus, ut & infra cap. 12. Itaque hoc primum (scilicet matrimonium) diutius vti volunt.

49. de summo illo in uxora virginis gradu, &c.] Nihil (inquit idem) suffragantibus exemplaribus, pro iunxerit verbo, quod hic locum non habet, substitutum compositam dictionem in uxora. Nam (si fallor) in uxora virginitas est Tertulliano, quam ἀρχαίος Graeci vocant. Atque etiam istud ad verbum penè de scriptis B. Hieron. Epist. ad Ageruchiam de Monog. Quis honestius expressit: ut tunc sit finis nubendi, quando terminus vitae, pro ea quod nunc apud Auctorem legitur: Et quando finis nubendi, credo post finem nubandi. Quo fit ut existimem, hic aliquid aliud scriptum fuisse ab Auctore, foret. viuendi, maxime quum in tribus Vatic. MS. cod. legatur (quamquam etiam mendo se) iterum: nubendi, penè eorundem litterarum dictio.

50. & nubentes ab ultimo die deprehendatur, &c.] Idem penè verbis B. Hier. in exemplum Sodome & Gomorrae ab ultimo die deprehendatur nubentes, & nuptui tradentes. Et verò coniungit Auctor vniuersus scripturas Matth. 24. cum exemplo Sodome & Gomorrae, sicuti etiam infra lib. de Monog. c. 16. & supra l. 1. Ad uxorem cap. 5. de quo ibi vide Adnot. nostras n. 33.

CAP. X.

51. Renuntient tandem carnalibus fructibus, &c.] Caput hoc inscriptissimum: Quod quibus quotidie oratio necessaria, utique & continentia. Quod ipsum penè ad verbum transcripserunt BB. Hieron. Ambrosius, Epiphanius, Innocent. Pap. 1. Syricius Papa & Beda, locis supra citatis num. 42. Supplementum autem iuxta l. editionem iterum ex MS. Post. 3. Ore felicem, amifisti debitorem; ut ad felicem referatur id quod sequitur: lucrum sentientem. Est verò v. a. d. b. scriptum illud: Magnam substantiam necessitatis parsimoniam carnis seruientis adquirens; pro quo 1. editio & 1. MS. parcimoniam carnis seruientis, alij duo: patrimonij carni seruientis; sed neque illi satisfaciunt. At qui Rhen. illud: quum sua femina cessat, interpretatur, quae abstinet à congressu, seu potius petendo debito, cuius paulo prius fecit mentionem.

52. Si Psalmum canit, &c.] Loquitur iuxta primitiam Ecclesia uxorem, cuius meminit non semel, & maxime 1. Cor. 14. Apostolus, quo Psalmi canebantur in Ecclesia fidelibus viris. Eodem refertur illud quod ex Plinio ad Traianum refert Auctor Apolog. ca. 2. de ceteris antelucanis ad canendum Deo & Christo, & illud de cetero

fidelium cap. 39. prouocatur in medium Deo canere, ubi de cantu Psalmorum & hymnorum ab Apostolis instituto contra Magdenburgensium calumnias latius in Adnotat. nostris num. 520.

53. Cum sancto sanctificaberis, &c.] Sic profuso lego, tum quod sequatur: innocens eris, & electus eris, tum quod illud Hebraice, Chaldaice, Graece, & Latine legatur iuxta adiciones omnes Psal. 17. ibi autem: ut Deo dignum fructum, subintelligi debet haud dubie adferri, aut quid simile; ubi etiam est vox obsoleta: elqualentia, uti editio Lugdun. siue ex qualentia, iuxta codices Basilienfes, de qua nihil etiam adigit Rhenanus.

54. Sapere secundum carnem, mors est, &c.] Morte suo sensum magis quam Apostoli exprimit Rom. 8. & in hoc differt, quod legat: secundum spiritum verò sapere, vita aeterna sit, quum ibi legatur: vita & pax est, addens alium de: In Christo Iesu Domino nostro. Mox autem & antea & post MS. 3. Vat. cod. legunt: in vnius nuptiis, sed magis placet ubique: in vni nuptiis, quare hic retinimus. At castigamus ibidem: in nos caro exercetur, pro: carnis.

CAP. XI.

55. Duplex enim ille rubor est, &c.] Titulum huic capiti imposuimus: Duplicem verecundiam esse in duabus vxoribus. Tractatur autem id ipsum lib. de Monog. cap. 10. Vxorem verò vnam spiritui, intelligit eam quae desumta est, carne aliam, quae adhuc superflua est.

56. pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas, &c.] Eodem pertinet illud: & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per sacerdotem; item quod loco iam citato legitur: Enimvero & pro anima eius orat, & refrigerium interim adpostulat ei, & offert annuis diebus dormitionis eius. Rectè autem adnotat Rhenanus, huius veterum consuetudinis meminisse Auctorem lib. de Coron. milit. nempe cap. 3. in hac verba: Oblationes pro defunctis, ubi vide Adnotat. nostras num. 36. & in B. Cypri. quem etiam ille citat Epist. 66. num. 13. Rectè autem dicitur: offeres per sacerdotem, quia filius sacerdotis, non vero laicorum, est offerre sacrificium, sicuti paucis adigitur supra num. 39. Denique rectè etiam adnotat Rhenanus Ironiam esse, quum dicitur: postulabis tibi & vxori castitatem.

CAP. XII.

57. Scio quibus excusationibus coloremus, &c.] Inscriptionem huic capiti dedimus: De variis excusationibus pro secundis nuptiis. In quo ad verbum ferè Auctorem imitatur B. Hieron. Epist. sospiciata de Monog. & sub finem lib. 1. adu. Iovin. Ipse verò Auctor eadem penè habet supra lib. 1. Ad uxorem cap. 5. & infra lib. de Monog. cap. 16.

58. claus custodiendas, &c.] De clauibus quae vxoribus committuntur, citat Dn. Lactantius B. Ambrosius Epist. 65. ad Syagrium Veron. Episc. ac Cicero, Philipp. 2. quod in diuortio adimi soleant. Rectè autem adnotat Rhenanus ibi: Scilicet solis matritorum domibus bene est, & in sequentibus, esse Ironiam. Accipitur verò iterum: Non bis, pro: Nonne, & tertio proinde locogendum potius erat pro: Num sed sensus sequentium verborum magis conuenit lectio Vatic. 3. MS. Nunc & confortium, &c. sine interrogationis nota; ex quibus etiam legitur: exhereditauit, pro: Cur. Quae verò go quis, pro: quid; ubi: Vt, accipitur pro: Cur. Quae verò sequitur periphras: Itaque hoc primum, &c. abscisa est, & quantum apparet mendosa; sed mecteri non licuit, quod

similiter legant MS. nec ex loco simili supra, castigari potuerit.

59. ne templa derelinquantur, &c.] *Loqui Aethiorem de templis ethnicorum patet ex eo quod sequitur: ne modo non sint (nam sic supplemus ex 3. V. aru. MS.) qui exclamant: Christiani ad bestias, quod ferè fiebat in spectaculis, sicuti patet l. eiusdem tituli Tom. 2. cap. 27. num. 196. Et vero moris fuit Veteribus: templa ethnicis adtribuere, Ecclesias Christianas, sicuti etiam adnotauimus supra lib. de Idolol. cap. 7. num. 29. sub finem.*

60. Ad quos suscipiendos legibus compelluntur homines, &c.] *Hoc ipsum (inquit Rhenan.) aliis verbis dixit lib. ad Vxor. 1. (nempè cap. 5.) quæ etiam à gentiliu prophanis vitantur, quæ legibus locantur. Quod Lectorem remittimus ad Adnot. nostras nu. 31. & ad Apolog. cap. 4. num. 52. & infra quoque lib. de Monog.*

61. quia sapiens quique numquã libens filios desiderasset, &c.] *Legimus quique, ex 3. MS. V. aru. cod. more Tertulliano, pro: quique. Adluit autem ad aureolum Theophrasti librum de Nuptiis, in quo definitur non esse uxorem ducendam sapientis; cuius totius argumentum late prosequitur B. Hieron. sub finem lib. 1. adu. Iouin.*

62. Puto nobis, &c.] *ibi: nalcentem, subauditur: tam. Huius formulæ multas orationes iam in Tertulliani precedentibus libris passim indicauimus, vsque ad fastidium. Similiter nobis, scilicet Christianis.*

CAP. XIII.

63. Ad hanc meam contentionem, &c.] *Caput hoc in scriptis: De exemplis Monogamiæ apud ethnicos. Quæ ipsa videre est partim supra l. 1. ad Vxor. cap. 6. & 7. partim infra lib. de Monog. ca. vlt. & eadem penè omnia descripsit etiam B. Hieron. Epist. sapientia & lib. 1. adu. Iouin.*

64. vniuita pronuba, &c.] *Pronuba, teste Donato, ex parte uxoris nuptiis præcundis & comitandis præerat, sicut Auspex (cuius etiam hic meminit Auctor) ex parte viri; sic dictus, quod auspiciis (sic dicta, quasi auspiciis) pro nuptiis ex volatu auum captare solet.*

65. Certè Flaminica non nisi vniuita est, &c.] *Prorsus sic castigauimus ex 3. MS. V. aru. cod. antea etiam admoniti ab Harrisio & Latino, pro: Flaminia, tñ quod illud legatur infra l. de Monog. et apud B. Hier. loco priori, iuxta quod nunc castigatus est à Victorio, tum quod distinguat Gellius lib. 10. c. 15. inter Flaminicam Flaminis uxorem, & Flaminiam Flaminis Dialis domum. Legimus item: quæ Flaminis lex est, pro: Flaminia, nam hoc est quod sequitur de Pontifice Maximo, id est, Flamine. Nam duo ipsi Pontifici Maximo iterare matrimonia non licet, &c. quo lib. de Monog. latius.*

66. qua diabolo qui antistant, &c.] *Non ignoret (inquit Rhenan.) Lector pro: quidam stant, suppositos nos: antistant; vt sit: antistant, pro: Antistites: agunt, Deorum scilicet Gentiliu.*

67. nunc virginitate, nunc viduitate euirant, &c.] *Inustus (inquit idem) ab exemplarium lectione discedo, sed tamè hic pro: periurant, ausus sum scribere: euirant. Cuius mutationis hæc est ratio. Videbam verbum periurant hic non habere locum, deinde memineram adnotasse Erasmus nostrum in scholiis ad Gerontiam, in versibus Hieronymi: codicibus legi: Hierophanta apud Athenas euirat virum. Vt sic figura Græca: euirat virum, id est secundum virum, & euirat accipitur absolute, pro: desinit agere virum. Hinc inductus sum vt hoc loco pro: periurant, supposuerim euirant. Nec docti improbabunt, vt spero. Si quidem*

Tertullianum imitatus est B. Hieron. Quod verò dicit hic: nunc virginitate, nunc viduitate euirant, idem scripsit lib. de Prescript. cap. 40. de diabolo Dei amulatore: Habet (inquit) & virgines, habet & continentes.

68. Noueram Virgines Vestæ, &c.] *De his idipsum habes supra & infra, & apud B. Hier. vtroque loco. Vide etiam Adnot. nostras ad l. iam dictam 1. ad Vxor. c. 6. n. 40.*

69. & Iunonis apud Achaia ganecum, &c.] *Prorsus hic aduocandum fuit: & Iunonis; nam præterquam quod Vestæ nõ fuerit agnita in Achaia, supra sic loquitur Auctor: Acher Iunoni apud Egiam oppidum yirgo fortitur, & infra: Iunonis Achaica, & B. Hieron. priori loco: Iunonis Achiuæ; de quo vbi supra num. 41. Hinc autem patet hallucinari Rhenan. in coniectura, qua coniecto legendam: apud Acharrenses.*

70. & attocis apud Delphos, &c.] *Sic habent (inquit Rhen.) exemplaria. Canonè vocat Hieronius attocem, hoc est constantem, vt exponit Aron Grammaticus. An hoc sit Pythij epitheton propter constantiam in consuetudine dracone, nescio. Nec liquet an ἀτεχης, quod verum significat, quo vocabulo Pindarus vocatur, mutatu sit in atrox. Cui correspondet illud, quod infra vocet has virgines Apollinis Pythij; vbi de iis latius, sicuti etiam de Mineruæ ac Dianæ virginibus, & Tauri illius Egyptij Antistitibus.*

71. fœminas verò Cereris Africana, &c.] *De his vide supra lib. 1. ad Vxor. nostras Adnot. num. 43. An ad eandem adludat B. Hieron. dum priori loco scribit matronas trecentas Genis Thestonum, quum captiuitatis conditione Consul se tradendas didicissent, deprecatis vt templo Cereris in seruitium traderentur, dispiciat Lector curiosus. De Didone verò vide supra Tom. 1. Apolog. cap. vlt. num. 622. De Lucretia verò Tom. 2. lib. ad Martyras cap. 4. num. 47. Vtriusque etiam meminit Auctor supra & infra, & vtroque loco B. Hieron.*

72. Quanta igitur & quæ in Ecclesiis ordinari solent, &c.] *De his loquitur, quarum meminit Apost. 1. Tim. 3. Mulieres firmiter pudicas, &c. & Tit. 2. Annos similiter in habitu sancto, vbi Græcè est πρεσβυτῆρας & ἡγεταῖς ἡγοῦσι τὸ ποτε πρεσβυτῆρας. Denique 1. Tim. 5. Vidua eligatur non minus 60. annorum. Sic enim Apostolum interpretatur non semel B. Epiphanius; obseruans interim appellari πρεσβυτῆρας, & πρεσβυτῆρας, ne quis existimet, aliquid muneris sacerdotalis ad illis in Ecclesia administrari posse; Contra quam supra docuimus To. 3. ad lib. de Prescript. adu. hæret. cap. 41. nu. 260. 261. & 262. et ipse quoque Epiphanius adu. Pepsitanos, Montanistas, & Collyridianos. Qui indicat earum & Diaconissarum ministerium (præter officium docendis domi adolescentiores, cuius meminit Apost. ad Titum 2.) in lauandis ante baptismum mulierum corporibus & postea abstergendis. Quibus adde ministerium Apostolorum, cuius Act. 6. fit mentio, in procurandis vita necessariis; & quod nulla mulier ad Episcopum accederet, nisi Diaconissa Diaconum adiret, & ille Episcopo mitteret, iuxta B. Clementem Romanum Constit. Apost. lib. 2. cap. 30. qui etiam ibidem l. 6. cap. 17. tradit Diaconissam eligi debere virginem, aut vnus viri viduam. Quo fit vt subiungat hic Auctor eas Deo nubere. Quod confirmatur, dum can. 15. Synodi Chalcedo. & Syn. 6. in Trullo can. 14. interdicitur eis nuptia. Vbi atas illarum, quam Apost. prescripserat 60. annorum, relaxatur ad annos 40. Et in super ordinationis earum fit mentio; in qua interim nullam fuisse adhibitam manus impositionem, & ideo pro laicis habitas, patet ex 1. Syn. Nicæna can. 19. Immo verò Presbyterarum*

ordinatio (quas Presbyterorum uxores fuisse subindicat B. Clemens) prohibita fuit postmodum Conc. Laodicensi can. 11. ubi iuxta secundam translationem vocantur etiam Matricularia. Sicut etiam Diaconissarum interdicta fuit Conciliorum Arausiaci 1. can. 26. Epaunen. can. 21. & Aurelian. 2. can. 18. Et verò etiam Theodorus Balsamon in dist. syn. Calced. suo tempore illarum ordinationem exoleuisse scribit. Quare videtur B. Grego. dum Conc. Rom. ca. 1. 2. & 3. vetat in coniuges duci Presbyteram, Diaconissam, & Monacham: alia significatione priores illas accipere,

ne, nempe pro Abbatissis & Priorissis Sanctimonialium. 73. Quae Deo nubere maluerunt, &c.] Quomodo Deo nubant, explicat addendo: quaeque se iam illius pudoris filias dicauerunt. Verum de Voto castitatis feminarum, ad quod hic alludit, supra Tom. 2. Adnotat. nostris in lib. de Feland. virgin. num. 1.

74. TERTULLIANI ad haec exhortatis, &c.] Sicuti etiam sub finem argumenti adnotauimus, hinc manifestum est librum hunc Tertulliani esse factum germanum.

ARGUMENTVM LIBRI DE MONOGAMIA,
PER IACOBVM PAMELIVM.

TERTULLIANI
Cum Annotationibus
PAMELII
A. V.
16.

- I. **D**E MONOGAMIA scripturus Tertullianus annis circiter 160. post Apostolos; imprimis, inter haereticos qui nuptias auferunt, & eos qui non semel nubunt, in medium sese sequi sententiam scribit de vno matrimonio.
- II. In hoc lapsus, quod Montanum, quem in hac sequitur, Paracletum vocet, & haereticum noget; nihilque contra Catholicam religionem docuisse, quum tamen supra lib. de Praescript. adu. haeret. ca. 52. haeresis condemnet eos, qui κατὰ ὀργῆς dicebantur, eo quod dicerent Paracletum in Montano plura meliora & maiora dixisse, quam Christus in Euangelium protulerit.
- III. Deinde docet nihil noui esse Monogamiam, quod Christus & Apostoli nuptiis continentiam praetulerint.
- IIII. Antiquitatem eiusdem probans, ex eo quod unam feminam masculo Deus sinxerit.
- V. Ad quod principium reciprocanda esse vniuersa in Christo spadone, immò cum vna Ecclesia Monogamo.
- VI. Digamiae Abrahae, Dauidis & Salomonis; opponens Monogamiam Isaac, Ioseph, Aaronis, & Moysi.
- VII. Aliam item rationem Veteris Legis & Nouae, quaeque interim etiam vtraque Lex prohibeat sacerdotes denuò nubere.
- VIII. In noua etiam Lege occurrere, Monogamiam Zachariae, Annae viduae, & Petri; continentiam etiam Ioannis antecursoris, Simeonis Iusti, & ceterorum à Petro Apostolorum.
- IX. Facere etiam pro Monogamia sententias Christi, quas praemisit in repudij retractatu.
- X. Maxime, quod repudium quoddam Auctori, quamquam perperam, videatur, nondum separato quantum apparet apud Deum matrimonio; vixit quum pro anima viri oret, & refrigerium ei adpostulet, & offerat annuis diebus dormitionis eius.
- XI. Deinde Apostolum permittentem nubere in Domino defunctae uxore (quamquam etiam perperam, & sensu Apostoli contrario) interpretatur de ea quae ante fidem amissa sit.
- XII. Quemadmodum etiam quod eos qui sunt in Clero, Monogamiae iugo adstrinxerit, aliis frustra nititur adplicare.
- XIII. Item & alios duos Apostoli locos detorquere non veretur.
- XIIII. Addens (sed nec hoc recte) si permiserit Apostolus in fide amisso matrimonio nubere, id indulgisse initio fidei, quod postea interdixerit Paracletus.
- XV. Et verò Apostolum eos notare, qui in totum nubere prohibebant.
- XVI. Ridet deinde varias excusationes secundarum nuptiarum.
- XVII. Denique exemplis ethnicorum Monogamiae & virginitatis, librum suum concludit.

Cete-

Ceterum citat hunc Librum Auctor ipse infra Libro de Ieiunijs aduersus Psychicos cap. 1. in hæc verba: De modo quidem nubendi iam edidimus MONOGAMIAE defensionem. At scriptum contra Ecclesiam disertis verbis scribunt B. Hieron. & Nicephorus locis citatis ad calcem Argumenti Libri præcedentis. De eodem sic scribit B. Hieronym. in Epist. ad Titum: Montanus, & qui Nouati (seu potius Nouatiani, sicuti emendandum censco) schisma sectantur, nomen sibi munditie præsumpsere, putantque secunda matrimonia ab Ecclesia communionem prohibenda; quum Apostolus de Episcopis & Presbyteris hoc præcipiens, utique in ceteris relaxarit; non quod hortetur ad secunda matrimonia, sed quod necessitati carnis indulgeat. SCRIBIT & TERTULLIANVS DE MONOGAMIA LIBRVM hæreticum; quem Apostolo contrariare nemo qui Apostolum legerit, ignorabit. Haud aliter B. Augustin. Hinc maxime Cataphrygarum & Nouatianorum hæresis tumuerunt, quas buccis sonantibus, non sapientibus TERTULLIANVS inflauit, dum secundas nuptias nunquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit. Quæ testimonia antidoti loco huc adducenda putauimus. Atqui Librum hunc iam olim viderunt MS. Trithemius & Politianus, edidit autem Rhenanus primum cum scholijs, deinde & Adnotationibus castigatis ex tribus sepe dictis MS. codicibus, deinde ex codice Britannico recognouit Gelenius; nos nunc denique ad tria Vaticana & unum Anglicum Dn. Doctoris Ioannis Clementis MS. exemplaria, & ex vna atque altera coniecturis Dominorum Latinij & Harrisij iterum castigauimus, nouisque Argumento & Adnotationibus locupletauimus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS
TERTULLIANI CARTHAGINIENSIS PRES-
BYTERI, DE MONOGAMIA LIBER.



AÆRETICI¹ nuptias auferunt, Psychici ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt. Quid agis Lex creatoris?² Inter alienos spadones & aurigas tuos tantundem quereris de domestico obsequio, quantum de fastidio extraneo: proinde & telæ dunt qui abutuntur, quemadmodum qui non vtuntur. Verum neque continentia eiusmodi laudanda, quia hæretica est, neque licentia defendenda, quia Psychica est. Illa blasphematur, ista luxuriatur. Illa destruit nuptiarum Deum, ista confundit. Penes nos autem, quos Spiritales merito dici facit agnitio spiritualium carismatum, tam continentia religiosa est quam licentia verecunda, quando quidem ambæ cum creatore sunt. Continentia legem nuptiarum honorat, licentia temperat. Illa non cogitur, ista regitur. Illa arbitrium habet, hæc modum, vnum matrimonium nouimus, sicut vnum Deum. Magis honorem refert lex nuptiarum, ubi habet & pudorem. Sed Psychicis non recipientibus spiritum, ea quæ sunt spiritus non placent. Ita dum quæ sunt spiritus non placent, ea quæ sunt carnis placebunt, vt contraria spiritui. Caro, inquit, aduersus spiritum concupiscit, & spiritus aduersus carnem. Quid autem concupiscet caro, quam quæ magis carnis sunt? Propter quod & in primordio extranea spiritus facta est, Non, inquit, permanebit spiritus meus in istis hominibus in æuum, eo quod caro sint. [7 Itaque Monogamiae disciplinam in hæresim exprobrant. Nec vlla magis ex causa Paracletum negare coguntur, quam dum existimant nouæ disciplinæ institutorem, & quidem durissimæ illis, vt iam de hoc primum consistendum sit in generali retractatu, 8 An capiat Paracletum aliquid tale docuisse, quod aut nouum deputari possit aduersus Catholicam traditionem, aut onerosum aduersus leuem farcinam Domini? De utroque au-

CAP. I.

Gal. 5.

Gen. 6.
CAP. II.